

47.
POSITIONUM VARIi ARGUMENTI

HEPTAS,

QUAM,

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS,
ANNUENTEQUE AMPL. FACULT. PHILOS.,

DISCEPTANDAM PROPONIT STIPENDIARIIS PUBLICIS

& PRIVATORUM

JOH. FREDR. WALLENIUS,

*Eloquent. Profesfor, Ordd. de S. Anna 2:da & de S. Wolo-
dimiro 4:ta Cl. Eques, Stipendiariorum h. t. Inspector,*

RESPONDENTE

MARTINO JOHANNE LINDFORS,

Stipend. Publ., Nylando,

In Auditorio Philofophico die II Junii MDCCCXXI.

horis 2. m. confvetis.

ABOÆ,

ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



I.

Parum admōdum sibi constat **Vossius** (*Poëtt. Institutt. L. III. c. 7 §.§. 11, 12*), cum repetitos ejusdem **Poëtæ** iisdem verbis versus in **HOMERO** **LUCRETIO**que simplicitatis amori, at in **MARONE** partim ipsius sui, ut ducis optimi, imitandi studio, partim significandi proposito unius esse omnia poëtæ, attribuit. Quantumvis namque censeantur illi hoc simpliciores, non caruerunt tamen ipso minus, sed contra magis etiam, exemplaribus atque antesignanis; nec dedignatus is fuit ex aliis sumere interdum, eoque fateri non profluxisse ex sua vena omnia. Quid vero dixisset idem **Vossius**, si prævidisset ventura esse tempora, quibus ne ipsa quidem *Ilias* unius deberi ingenio putaretur? quid, si cogitasset, interpolationes quasvis & supposita scripta in eo elaborare maxime, ut, cujus videri velint, ejus, quam fieri possit plenissime, assumant mentianturque characterem & habitum?

II.

Dialogum de Oratoribus, qui idem & de causis corruptæ **Eloquentiæ** inscribitur, haud esse a **TACITO** profectum consentientibus jam fere omnibus cum nuper se denuo opposuerint **BROTIERUS** & **OBERLINUS**, non erit inutile observatu, addi, allatis pro abjudicando **Scriptori** isti eodem argumentis, jure posse & locum illum capituli 22:di de *tarda* & *inerti Annalium* structura: qui quippe & indubitatis **TACITI** verbis (*Annal. L. III. c. 65, L. XIII. c. 31*), & compositorum ab ipso **Annalium** characteri, æque repugnat. Quod vero fuerunt antiquiores **Romanorum Annales** jejuni & horridi (esse illis hirsutius nihil judicavit **OVIDIUS** *Trist. L. II. v. 259*), id ad stilum po-

tius quam ad rem ipsam pertinuit, fuitque & reliquis vetustioris Latinitatis Scriptoribus, Poëtis immo ipsis, commune: fuisse autem TACITO non de dictione sed de materia sermonem, docebit in primis locus Annalium L. IV. c. 32.

III.

Horridiorem illum, parumque aut nihil prorsus cultus habentem antiquioris Romanæ Lingvæ & Litteraturæ habitum qui noverit, simulque cogitarit ornatiorem haud vel fuisse vel esse potuisse primævæ ullius faciem, nequaquam dubitabit receptissimæ licet, haud tamen aptissimæ, Auctorum Latinorum in auream, argenteam, æneam, ferreamque ætates divisioni præferre eam, quæ, vitæ cujusvis organicæ (cfr. HORAT. A. P. v. 60 sqq. & HOMER. II. VI. 146 sqq. XXI. 464 sqq.) rerumque omnium successioni accommodatior, primam ipsorum seriem Pueritiæ comprehendit spatio, hocque consequi jubet primo Juventam, deinde Virilem Ætatem, tum Senectutem, eamque priore adhuc stadio Vegetam, posteriore & ultimo Decrepitam atque Effetam. Utracumque vero adoptaveris dispescendi rationem, eadem fere deprehendetur esse definiendarum epocharum difficultas.

IV.

Cum fuerit, ex ARISTOTELIS doctrina (*περὶ Ποιητικῆς* cap. 2, 4, 5), Comædiæ antiquorum officium, τὸ γελοῖον δραματοποιεῖν, sistereque homines non perfectiores solito, sed imperfectiores (*χείρους, φαυλοτέρους*), facile patet, haud esse fabulam PLAUTI, *Captivi* inscriptam, hoc modo constituti comici generis, sed ei potius subesse scenîcorum meletematum formæ, quam Dramatis angustiore sensu dicti nomine creasse visa sibi est recentior ætas, quamque per invidiam fere appellare placuit multis Comædiam flentem: in ista namque sua fabula non tam id sibi proposuerat Sarsinas ille Comicus, ut rictum auditoris spectatorisve risu diduceret, quam potius ut utriusque tangeret cor, pectusque mollioribus imbueret sensibus. Prævisse videtur Umbro artificî Comædia Græcorum Nova sive Tertia, hu-

jusque inter Scriptores præ reliquis forsan MENANDER (PLUTARCH. Symposiac. L. VII. probl. 8).

V.

Abesse quidem ab Apologis (quemadmodum ab Allegoriis abest semper, a Parabolis haud raro) sine incommodo potest Accommodatio illa (Affabulationem barbare vocant nonnulli) s. moralis s. alio quodam modo ad communem hominum vitam regendam explanandamve traducta, & soli audientis legentisque acumini plerumque permitti: nec carent tamen illa vel antiquissimi JOTHAMI (Judic. 9: 8—20), NATHANIS (2 Samuel. 12: 1—12), HESIODI (Æg. v. 200—211), aut ipsius forte ÆSOPI (ARISTOTEL. Τεχν. Πητ. L. II. c. 20), uti nec perantiqui saltem STESICHORI Himerensis (ibid.) & MENEMII AGRIPPÆ (LIV. L. II. c. 32).

VI.

Mirari subit, qui factum sit, ut apud gentem *Creeks* Americae Septentrionalis pari, quo quondam Athenis, designetur Sapientia symbolo: Noctua (VON ZIMMERMANN Jorden och dess Invånare, 4 Del. p. 222 sq.). Annon, quod utrobique noctivida, noctu vigila (MARTIANI CAPELLÆ utor PLAUTIQUE vocabulis), solitaria, est illa avis; quod oculos habet magnos noctuque lucentes (LINN. S. N.); quodque (verba sunt NATALIS COMITIS) "ubique videt Sapientia, & illa etiam dijudicat quæ "ceteris obscura videntur"?

VII.

Metalepseos exemplum petere plerumque solent Rhetorices Scriptores ex VIRGILII Ecl. I. 70: nescio an audacioris etiam & longius continuatæ specimen sit Ovidianum illud, *ter centum musta* (Metam. XIV. 146).